Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2063

Quelle:
Copyright:

dein Theologus et Academiae Rector pugil inclaruit ſcripto primum *de Periculis noviſſimorum temporum* Tractatu, quem *Alexander* IV. flammis *Anagniae* devovit, tum praeſenti Opere, quod animo infractus 1266. *Clementi* IV. mittere non dubitavit. Conſtat *Prologo*, qui incipit: *Sapientiam antiquorum omnium exquiret ſapiens* &c. dein V. *Diſtinctionibus*, quarum primae initium eſt: *Prima ergo diſtinctione huius tractatus ad ſciendum qui ſint pſeudo predicatores et penetrantes domos* &c. Ultimae finis: *cui data eſt omnis poteſtas in celo et in terra, ut legitur Matth. ult. per infinita ſecula ſeculorum Amen.* Accedit *tabula* lemmatum L. hoc rubro: *Hec ſunt ſigna quibus pſeudo predicatores a ueris predicatoribus poſſunt diſcerni.* Ne pluribus immorer, Editio et hujus et aliorum *Guilelmi* Operum facit, quae *Pariſiis* a *Joh. Cordeſio*, ut putatur, procurata in fronte impreſſa dicitur *Conſtantiae ad Inſigne Bonae Fidei apud Alitophilos.* 1632. 4. Praefixam habet luculentam *de Libris et Doctrina Magiſtri Guillielmi de Sancto Amore* διατριβην, ad quam Lectorem remitto, id addere contentus, *Guilielmum*, quamvis *Dominicanos* plurimum impetierit, haereſeos labe, quam ei liberalius quidam adſperſere, purgari a Viro rectiſſimo *Nat. Alexandro* T. VII. *Hiſt. eccl.* p. 93. *Codex* noſter in hanc notam deſinit: *Iſte liber eſt ſcriptus pariſius pro magiſtro alberto de Boemia tunc rectore vniuerſitatis paryſienſ. exeunte. per manus iohannis dicti criſpus. quem compleuit Anno domini. M°. CCC°. 56. die. 7ma. menſis marcij tempore carniſpriuij quo tempore feſtum translacionis beati Wenceslaij die veneris proxima ante carniſpriuium contigerat celebrandum.* *Albertum* hunc in *Caeſ. Egaſſii Bulaei Hiſt. Univ. Pariſ.* T. IV. p. 948. invenio ad an. 1349. Procuratorem Nationis Anglicanae, et ad an. ſupradictum 1356. Rectorem. Audit ibi *Albertus de Praga familiaris Clericus Sereniſſimi Principis et D. D. Caroli Romanorum Regis ſemper Auguſti et Bohemiæ Regis*; id quod ſuſpicionem movere cui poſſet, *Adalbertum Rankonis Cod.* alio memoratum, et hunc *Albertum* unam eandemque eſſe perſonam; quod enim *Bulaeus* ait, *Albertum* etiam *de Alto Caſtro* cognominatum fuiſſe, id perperam ab *Alberto de Hohenberg*, qui apud *Bulaeum* in *Catal. illuſtr. Academicorum* noſtrum ſequitur; ad hunc translatum eſſe videtur.

DXLIV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 105. f. lineis addenſatis, ceterum bene ſcriptus et rubro diſtinctus continet *Varia Theologici argumenti*, prout hic ediſſeremus. I. *Guillielmi de S. Amore Collectiones Catholicae et Canonicae Scripturae*, ut *Cod.* praeced. ex quo *Codice* multum etiam correctae et ſubpletae 156

ſunt,